





728  
25.

BALTHASAR

BEBELIUS,

Argentoratensis,

S.Th.D.ejusdemq; Profes-  
for Publicus Primarius, in Universi-

tate Wittebergensi, Circuli Electoralis Saxonici Su-  
perintendens Generalis, Pastor, & Consistorii,  
qvod Wittebergæ sedet, Ecclesiastici  
Assessor,

*Academiæ Patres & Cives reliquos  
ad Inauguralem suam Orationem*

*Die proxima Luna, qvæ erit 16. Augusti. st. v. H. Lg. S.  
habendam,*

Officiosissimè & perqvam humaniter  
invitat.

---

*Typis CHRISTIANI FINCELII.*

178



## In Nomine JESU, Amen!



EUS ipse met fuit, qvi statim ab initio ἐξαημέρος lucem à tenebris distinxit, & istam diem, has vero noctem appellavit, Sic enim retulit in antiquissima sua historia Moses Gen. וַיְבָרֶל אלהי־שִׁבֵּן הַאֲוֹר וּבֵין הַחַשֶּׁךְ I.4. Et distinxit Deus inter lucem inter tenebras. Et porro : Et vocavit Deus lucem diem, וְלֹחַשׁ וְלֹא־וְרֹא יּוֹם tenebras vocavit noctem. Qvæ verba in sua quidem litera relinquimus, ut de rebus ipsis naturæ scrutatores disceptent & arbitrentur. Nam non placet, quod Origenes à litera ad meras allegorias delapsus sit, improbantibus id ipsis melioribus Patribus: Delectatus est, ita doctissimus Sixtus Senensis, etiam tam in hoc, quam in superiori genere usque adeo allegoriarum structura, ut ei ab æmulis suis (id-

(idque ex rei veritate) objectum sit, quod allegoriae involucris, & anagogiae ambagibus vim fecerit reclamant literae, & veritatem scripturarum sustulerit.

L. IV. Bibl. p. 351. Ipse tamen Spiritus Sanctus, sui optimus interpres, i. Cor. II. ii. in *mystica Theologia* aliud quod mysterium subintellexit, & meditandum nobis proposuit, nempe sub *luce & die* rerum divinarum notitiam, consequenter sub *tenebris & nocte* ignorantiam earundem, & *errores* subinde occurrentes. Apud Paulum, suum interpretem & amanuensem, rationem redditurum sive *χριστολογίας*, haec verba legimus: ὅτι οὐ Θεὸς οὐ πῶν εἰ σκότῳ Φῶς λάμψαι, οὐ ἐλαμψεῖ εἰν ταῖς οὐδίαις ήμῶν, τοῦτος Φωτισμὸν τῆς γνώσεως τῆς δόξης τῷ Θεῷ εἰν αἴσθοπτῷ Ἰησῷ Χριστῷ. B. Lutherus vertit: Denn GOTT der hieß das Licht aus der Finsternis herfür leuchten / der hat einen hellen Schein in unsere Herzen gegeben / daß durch uns entstünde die Erleuchtung von der Erkenntniss der Klarheit Gottes/in dem Angesichte Jesu Christi: Qvibus verbis manifeste digitum intendit ad Mosaica, paulo ante allegata, & connexa, & per *lucem* significari ait *verbum ipsum DEI τροφοικὸν*, splendidissimum sua charitate, revelatum nobis à Christo, ipsa luce, qui arcana divinorum primus omnium conscius est. Nam *Deum nemo vidit unquam, sed Filius DEI, qui in sinu Patris est, ille nobis enarravit;* Joh. I. 18. Per illuminati-

*nationem vero, ex illa luce factam, intelligit cognitionem  
DEI, & ipsius Filii. Distinxit autem Deus  
inter diem & noctem, & indicavit veritatem & puri-  
tatem verbi sui etiam ab obscuritate, & impuritate  
errorum & mendaciorum esse distinctam; Apostolo iti-  
dem indigitante. Nam idem interrogat: Τὶς γὰς  
μέτοχὴ διηγοσύνη νοῆ ἀνομίᾳ; Τὶς δὲ κοινω-  
νία Φωτὶ τεῷς σκότους; Τὶς δὲ συμφώνησις Χριστῷ τεῷς  
Βελίαλ; ή τὶς μερὶς πάτερ μετὰ ἀπόστολος. i.e. Quae enim  
communio justitiae & injustitiae? quae vero communio  
lucis cum tenebris; qui vero consensus Christicum Be-  
liat; aut quae pars fideli cum infideli? 2. Cor. VI. 14. 15.  
Interrogando negat, q. d. nulla est communio, nullus est  
consensus, toto cœlo divisi sunt invicem. Qvam senten-  
tiam Ecclesia Orthodoxa semper suam fecit, & amplexa  
est, docuitque id doctrina sua & exemplo. Toleravit  
qvidem aliquando & aliquandiu heterodoxam, sed eo so-  
lum fine, ut per amicam qvandam tolerantiam hetero-  
doxam illam tandem ad se transferret & lucraretur;  
Hæc cauſsa fuit, cur Christiani Judæos aliquandiu ferrent,  
& infirmitati ipsorum per sanctam qvandam συγκατά-  
σασ multa indulgerent, ut nimis sua illa lenitate eos  
Christo & Ecclesiæ Christianæ applicarent. Constat  
hoc ex claris ipsius verbis, qvæ exstant 1. Cor. IX. 19. seqq.  
'Ελεύθεροι ὡν ἐν πάντων πᾶσιν ἐμαυτὸν ἔδόλωσα,  
iv*

ἴνα τὰς πλείονας οὐρανούς· οὐαὶ γενόμην τοῖς Ἰσδαιοῖς  
ώς Ἰσδαιῷ, οὐαὶ Ἰσδαιγεῖς οὐρανούς· Τοῖς ύπο νόμου οὓς  
ὑπὸ νόμου, οὐαὶ τὰς ύπο νόμου κερδήσω· Τοῖς ἀνόμοις  
ώς ἄνομῳ (μή ὡν ἄνομῷ Θεῷ οὓς ἔννομῷ Χριστῷ) οὐαὶ  
οὐρανούς οὐρανούς· Εγενόμην τοῖς ἀθενέσιν οὓς ἀθενῆς,  
οὐαὶ τὰς ἀθενέῖς οὐρανούς· Τοῖς πάσι γέγονατά πάντα,  
οὐαὶ πάντας τινὰς σώσω. i.e. vulgato vertente:  
Nam cum liber essem ex omnibus, omnium me servum  
feci, ut plures lucrifacerem. Et factus sum Judæis tanquam  
Judæus, ut Judæos lucrarer; iis qui sub lege sunt, quasi sub  
lege essem (cum ipse non essem sub lege,) ut eos, qui sub le-  
ge erant, lucrifacerem. Iis qui sine lege erant tanquam  
sine lege essem (cum sine lege DEI non essem: sed in lege  
essem Christi,) ut lucrifacerem eos, qui sine lege erant.  
Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem.  
Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos. Hæc  
Paulus, infirmitatem omnium sese quidem aliquando tolerasse, ait, eam tamen ideo, ut lucrifieri possent. Sic cir-  
cumcidit Timotheum, ut per ipsius exemplum Judæos in  
Civitatem Christianam traduceret. Postquam vero essent,  
qui ex ista Timothei circumcisione libertati Christianæ  
insidias struerent, & ipsum Judaismum molirentur, absti-  
nuit sese ab illa συγναζόσει, & Titum circumcidere  
noluit, Gal. II. 3. Sic etiam seqventi tempore in Ecclesia  
Christianæ actum est, ut fideles ab infidelibus & heterodo-  
xis, etiam quoad externam communionem, sese abstine-

rent, docentes, quæ isti improbant; improbantes quæ isti affirmabant, locis etiam sacris & conventibus dissidebant, ne vel ulla in re cum ipsis conspirare viderentur! Atque hæc quoque causa fuit, cur religionis nostræ Evangelicæ confessores suam peculiarem confessionem concinnarent & exhiberent, nempe ut de fide ipsorum clare constaret, alia & divisa à sententia Pontificia. UNA est Ecclesia, quæ sic in symbolo vocatur, & talis ab ipsa nostra Augustana Confessione Artic. VII. agnoscitur. Nam in ea nostri docent, quod *una sancta Ecclesia perpetuo mansura sit.* Unum autem quod est, ut Philosophi ajunt, est indivisum in se, & divisum ab aliis: Qvare & Ecclesia erit indivisa in se; Nam membra invicem cohærent vera fide & sincera charitate; Ephes. IV. 3. seq. Et quotquot talem fidem non agnoscunt & profitentur, eodemque charitatis vinculo connexi sunt, ad tale corpus non pertinent. Cumque Cæsarea Majestas juberet paratos esse cum sua Confessione, illico id nostri fecerunt, & priores quidem adversariis suis, immò hos, credo, puduit suæ sententiæ. Nam ipsam perinde ac nostri prodere ac exhibere noluerunt. Forsan ideo, ne viderentur aliquid facere contra authoritatem Papæ & ordinis Sacri, quippe cuius unius sit, non autem Magistratus Civilis, ut ipsi quidem putant, de rebus Religionis arbitrari. Cæsar Carolus V. jam & adhuc in Italia constitutus serio quidem voluit Concordiam etiam in rebus sacris. Nam per Mercurium Gattinariu[m] suum conte-

sta-

status est coram ipso Pontifice & Cardinalibus nihil aqve  
suum animum solicitum hactenus habuisse, nullamque intentionem,  
curam & cogitationem suam fuisse, quam ut quereret utque cogno-  
sceret rationem modumque tam periclitanti Ecclesie, quam imperio  
restituendi pacem & tranquillitatem. Et prohibendi, tollendi que  
è medio quidquid communi omnium saluti & incolumenti aduersum  
videatur esse. v. Cœlest. hist. A.C. f. 10. b. 1. tom. Sed egregio huic  
Cæsaris conatui Clemens VII. Papa se sed directe opposuit,  
illumque improbavit palam, haec de re, inter alia inquiens,  
plurimum est periculi Ecclesie, prior mea esse debet deliberatio, &  
principua auctoritas. f. 13. Sed Cæsar magnificis hisce Papæ  
verbis se à suo scopo dimoveri passus non est, qvin in Ger-  
maniam scriberet, ut in hac caussa religionis partium opiniones &  
sententiae inter se in charitate, lenitate, & mansuetudine mutuo au-  
direnur, coram intelligerentur & ponderarentur, ut illis, qvæ utring  
secus in scriptura tractata sunt, correctis, res illæ ad unam simplicem  
veritatem & concordiam Christianam componerentur, & reduceren-  
tur, ut de cetero à nobis (ita pergit Cæsar) una sincera & vera do-  
ctrina colatur, & servetur, ut quemadmodum sub uno Christo sumus  
& militamus, ita etiam in una Ecclesia Christiana in unitate & concor-  
dia vivere possumus, hactenus Cæsar. Sed noluit illud Papa, qui  
tum sedebat, Clemens VII. Noluerunt etiam ipsius succes-  
sores. Videbantur quidem ipsi in Cæsar's vota condescendisse, cum Concilium Tridentinum adornassent, Paulus III.  
Julius III. Pius IV. & V. idque ipsum etiam Concilium Tri-  
dentinum præ se ferebat; ipse qui indixit magnifice jaçtat  
in ipsa sua Bulla *Concordia reconciliationis*, sed mox in fronte  
concilii *heresis* nobis imputatur, qvæ ipsi potius imputanda.  
Nā suo stylo ita nostram confessionem appellat; Et nos vo-  
cat

cat Hereticos, infideles, & quos non, quis sint redigendi in numerum demum fidelium & Orthodoxorum, idque adeo putat ille & successores per subsequentia Concilii verba, decreta, sessiones, capita & Bullas: Qvis igitur crediderit Papatum nostram A.C. pro sua, vera & ipso DEI Verbo agnoscere, & venerari? imo operam dant omnem, & lapidem movent, ut, quod olim Campegius Papae Legatus ad Ordines Imperii callidissime cecinit, errorem agnoscentes, & rejicientes ad pientissimam (scilicet!) matrem Ecclesiam Romanam rediremus! d. 24. Junii Anno. 1530.  
Postquam igitur Serenissimus & Potentissimus Saxoniae Elector, DN. JOH. GEORGIUS III. &c. &c. &c. DN. noster Clementissimus, non ita pridem ex patria Academia, Argentoratensi, nos evocavit, ut in Saxonica, Wittebergensi munere Professoris Theologiæ Primarii fungemur, idque officium nunc aggredi constituerimus, praemittenda erit *Oratio*, quam vocant, *Inauguralis*, ut hoc quoque ritu & Ceremonia solenni defungeremur, in qua de materia, jam prælibata plura, bono cum Deo, faxit ille ut feliciter dictum sumus; Adeste igitur Magnifice DN. RECTOR, Spectabiles DNN. DECANI, Excell. DNN. PROFESSORES reliqui, Nobb. Dnn. Studiosi, & reliqui Academicci: quæ restant porro dicenda publicæ cathedræ reservabimus. Nam posthac *de sensu A.C. & Concilii Tridentini adeoq; & de diffensu* mutuo genuino dicemus, explicaturi singulos Confessionis nostræ articulos, & post hos singulas etiam *Concilii Tridentini Sessiones*, istosque & has ex Theologicis scriptis, quæ tum temporis pro addictis alterutri partium agnoscabantur, & adhuc valent, quidquid etiam Novatores garrant & jactent! Valete! Perscriptum VVittebergæ Anno Christi  
M DC LXXXVI. Domin. XI. Trinitatis,

(o)



